



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

Qvid sit fides & quæ sit eius materia c. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

LIBER
QUARTVS.

*In quo agitur de
Virtutibus Theo-
logicis, et primæ
Tabulæ præceptis.*

Quid sit fides, & quæ sit eius ma-
teria. Cap. I.

Fides est * assensus eorum,
quæ per Spiritum Sanctum
Ecclesiæ sunt reuelata, quate-
nus sunt à Spiritu sancto. Ea autem
quæ reuelata sunt, credi possant,

multipliciter, aut quia ratione probabili, vel miraculis, seu alia simili causa sunt confirmata. Inter omnes tamen assensus ille solus dicitur fides, quo credimus reuelata esse vera, quia Deus dicit per Ecclesiam suam. Alia verò quæ Dominus alio modo reuelat Sanctis suis, vt Sanctæ Brigidæ, fide non credimus, sed humana tantum opinione. Sex autem sunt, quæ certò credere debemus per Spiritum sanctum Ecclesiæ Catholice reuelata: Primo loco sunt, ea quæ in scripturis Canonicis continentur. * Secundo, illa quæ per Apostolicas traditiones vniuersales cõseruantur. * Tertio, Quæ in Conciliis generalibus, vel Prouincialibus à Sede Apostolica confirmatis certò determinantur. * Quarto, Ea, quæ à Romano Pontifice, vt tali, de fide esse definiuntur. * Quinto. Illa, quæ vnanimi consensu omnes sancti Docto-

res tradunt. * Sexto & ultimo, quæ ex aliquo horum in fallibili argumento deducuntur.

De modo, & necessitate fidei.

Cap. 2.

Sine hac fide ab Ecclesia Catholica edocta, nullus saluari potest: sed omnes in æternum damnantur. Est enim necessaria ad salutem, & ad opera meritoria, quæ sunt media, quibus in cælum ducimur. Præter fidem autem interiorem, exterior fidei confessio necessaria etiam est in duobus casibus. * Primo. Quando si fecus fieret, honor Dei auferretur, ut si quis de fide interrogatus eam negaret aut suo silentio vel quouis alio actu eam negare videretur. * Secundo. Quando ex negatione vel dissimulatione fidei periculû aliis crearetur existimandi fidem Christi non esse veram. Cæterum quã